



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Dormi Secvre: Vel Cynosvra Professorvm Ac Stvdiosorvm Eloqventiæ,

in qua Centvm Et Viginti Themata Oratoria. Non Solvm Stvdiosis, Sed &
Professoribus eloquentiæ, ac pietatis veræ amantibus utilissima &
pernecessaria explicantur ; Cum Indice rerum atq[ue] verborum locupleti

Tympe, Matthäus

Coloniæ Agrippinæ, 1650

VIII. Loquacitatem nimiam Adolescentibus esse declinandam.

urn:nbn:de:hbz:466:1-38994

D. Hieronymus dicebat: *sive manduco, sive bibo, semper resonat in auribus meis: Surgite mortui, venite ad iudicium.*

TERTIÒ, *expones rei in iudicium venientis magnitudinem.* Non enim hîc de ingenti pecuniarum thesauro, non de gravissimo perpetuoque à Patria exilio, non de existimatione, capiteque sententia proferetur: sed utrum in omnem æternitatem in gravissimis inferni ardoribus, an verò summis Beatorum gaudiis versandum sit. Hîc ostendes istius damnationis sententiam, nullo huius seculi, quantumvis magno detrimento posse comparari; sicut & felicitatis, cum nulla huius vitæ prosperitate.

QUARTÒ, Ad hæc omnia *docebis accedere, quòd hunc iudicem nemo possit effugere, cum sit potentissimus; nemo rem etiam minimam celare, cum sit scientissimus.*

CONCL. *Auditores omnes commones faciet propria salutis, eosque hortabitur, ut ad animum hæc res frequenter referant, ut Spiritui Sancto per S. litteras hac de re nos momenti morem gerant, reliquo tempore ab improba peccandi consuetudine se abstineant, commissa delicta dignis pœnitentiæ operibus expient, seq; ex consilio Doctoris gentium iudicent, ne à Domino quandoque iudicentur, contra quàm optarent.* 1. Cor. 12.

VIII. LOQVACITATEM NI-
*miam adolescentibus esse decli-
nandam.*

EXORDIUM *duces à commendatione præcepti Syracidis: Adolescens, loquere in tua caussa vix, si bis interrogatus fueris, habeat caput responsum tuum: in multis esto quasi inscius, & audi tacens simul & quarens.* Cap. 32. v. 10.

PROPOSITIO: Te igitur quàm magnam labem adolescentiæ aspergat garrulitas ostensurum.

CON-

CONFIRMATIO I. Locus *ab inhonesto*, quòd turpe sit sapientissimam naturæ dispositionem pervertere: hæc autem suadet; atque adeò præcipit, nimium devitare sermonem: dedit siquidem duas aures, & unam linguam, ut multa audiamus, pauca loquamur; & hanc linguam dentibus, (ut muro;) labiis, (ut vallo,) muniuit, ut vel hoc modo loquendi licentia retardaretur. *Hic ostende*, quam ineptum fœdumque sit præsentibus gravibus doctisque viris, adolescentem suas ineptias nugasque venditare, adeò ut ipsis de rebus utilissimis dicendi præripiatur locus. *Et per hypotyposin auditorum oculis loquacem subjicias adolescentem licet.*

II. *Ab inutili*. Perniciosa res ea est, quæ diversis peccatis materiam præbet, quæque honestissimorum artium studiis plurimum officit. Plenissimum namque gravissimorum periculorum est, præpotentis Dei offensam diversis delictis incurrere, & haud vulgaris detrimenti, ex liberalibus disciplinis eam non reportare utilitatem quæ meritò nobis requiritur. Verum loquacitas res est huiusmodi. Docet namque S. Script. in multiloquio non deesse peccatum. Docet quotidianus usus, verbosus istos juvenes sæpius in detractiones, in mendacia, in contentiones sua loquacitate prolabi. In litteris verò, quem facietis progressum, qui, docente præceptore, quantus quantus est, fabulis sese consecrat, quique petrusi dolii instar subito per loquacitatem rursus id emittit, quod ex præceptoris ore exceperat. Hinc sapientissimus Philosophus Pythagoras, explorata suorum discipulorum indole, quibusdam biennii, aliis longioris temporis, ad quinquennium usque silentium indicebat. Hinc D. Thomas Aquinas, præclarum Philosophorum & Theologorum decus adeò taciturnitatem colebat, ut à condiscipulis, sui dissimili-

Ep. Iac. v. 5.

Prov. 10.

Vide cap. 28.

Syr. & c. 3.

milibus, *bos mutus* nuncuparetur, qui postea tamen sui præceptoris Alberti Magni vaticinium confirmavit, tales edens mugitus, quos universus exaudivit mundus.

In REFUTATIONE præoccupabis difficultatem coercenda lingua, dicens, eò diligentius idonea conquirenda esse remedia, ac PRIMÒ, implorandum esse cum Davide auxiliùm divinum pro cõhibenda lingua: quia hæc linguæ frænatio primùm quidem ductu auspicioq; divino, ut loquitur Nazian. deinde verò etiam mentis nostræ clavo indiget. SECUNDÒ, antequam ad loquendum proficimus, habenda est ratio circumstantiarum temporis, loci, personarum, modi, & similibus: seu expendendum & præmeditandum est, quid sit loquendum, cui, quomodo, quo loco, & tempore. Loquendum enim de rebus utilibus, ex quibus vel nos, vel is, cum quo sermonem miscemus, fructum aliquem decerpat. Et recte ait Salomon: *Qui inconsideratus est ad loquendum, sentiet mala.* Et Syracides: *Lingua imprudentis subversio est ipsius.* Et Apostolus: *Sermo vester in gratia sit sicut conditus, ut sciatis quomodo oporteat vos unicuiq; respondere.*

Psal. 14. v. 3.

De silentio

4. dierum.

Prov. 13. v. 5.

cap. 5. v. 15.

Vide in

parte 2. orat. de Si-

lencio.

In CONCLUSIONE dehortaberis omnes à loquacitate, & sæpius mente cogitandum esse suadebis illam Christi vocem: *De omni verbo otioso, quod loquuti fuerint homines, rationem reddent in die iudicii.*

IX. LAUDES ACTIONVM THEATRALIVM, Comædiarum, Tragædiarum, &c.

EXORDIUM à sententia Socratis, quem dicere solitum memoriæ proditum est: *Vt vappa vinumq; pendens & austerum, gustatui, ita mores insubrosos & rusticos hominum societati graves & odiosos esse.* Quam, comprobabis PRIMÒ ab effectis, quòd nemo ferat eum, qui agrestibus moribus præditus

Pars I.

C

est.